



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ordinis || Praemon-||stratensis || Chronicon

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1613

De Itinere Ad Svmmvm Pontificem Et Habitv ab eodem suscepto. Capvt X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64313)

DE ITINERE AD SVMMVM
PONTIFICEM ET HABITV
ab eodem suscepto.

CAPVT X.

ADificatis & dotatis claustris prædictis, Romam reuertitur iteratò. Deinde expetens colloquium summi Pontificis, exponit reuerenter eidem de prædictorum claustrorum ædificatione, & provisione, petens humiliter & deuotè recipi eadem cum suis pertinentijs in protectionem Sedis Apostolicæ specialem. Postulat etiam, vt de consueta Sedis Apostolicæ gratia, vsus Pontificalis Infulæ Abbatibus loci eiusdem pro tempore succedentibus concedatur. Verum summus Pontifex fiduciam postulantis, ipsiusque attendens constantiam, considerans etiam deuotionis ipsius feruorem, in duorum claustrorum immensæ liberalitatis munificentia declaratum, preces interpellantis admittit, & tribuit postulata, receptis omnibus supradictis in protectionem Sedis Apostolicæ specialè: & vt in Bohemia cunctis eiusdem ordinis Ecclesijs celsior videretur Teplensis Ecclesia, priuilegijs Apostolicis muniuit eandè, militis mores & industriam

dustriam laudibus attollendo. Nec mora, vir strenuus Hroznata, tanta fauoris gratia à sede Apostolica sentiens se præuentū, vt Deo se benè meritum exhiberet, & vt non in parte, sed in toto diuino cōspectui hostiam se offerret, habitū Præmōst. Ord. de manu Pontificis dari sibi petijt, quem etiā ibidem assumpsit. Igitur vestibus professionis indutus, & benedictionibus Apostolici culminis iocūdatus, pedes Domini Papæ deosculans & amplectēs, agit gratias pro beneficijs vniuersis: & licentiatus ibidem exit ad suos proceres, de milite frater factus, quem proceres præ foribus expectabant. Milites mutatum habitū domini graui animo intuentes, & adeò repentinā mutationem ipsius stupentes, lacrymas multiplicant & dolores. Vox vna plāgentiū. Cur nos pater deseris? cur nobis vitam adimis? nū viuere amodò poterimus, vnicō post Deū solatio destituti? Certè meli⁹ fuisset in natali patria peremptis gladio, quàm in terra aliena orbari Patrono. Vt quid de domibus parentum eductos orphanos reliquisti? At ille inter plangentes amictū & vultū Angelicum repræsentans, conuersus ad suos sic ait. Desistite torrentem fundere lacrymarum, quasi hæc mutatio à diuina non prodeat voluntate:

cūm

*Hroznata
suscepit ha-
bitum ordi-
nis Præmon-
stratenfis.*

cùm scriptum sit: *sine me nihil potestis facere*, sed potius Dominum in suis operibus magnificate, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Inter verba huiusmodi ad hospitium, in quo morabantur, pariter peruenerunt; vbi omnibus caritatem Fratris Hroznatæ volentibus experi-ri, cibi & potus abundantia, hilariter administrabatur, adeò quòd ex eo hospitalitas ipsius quotidie augebatur. Prosperè itaque secundum vota rebus omnibus succedentibus, nouus tyro militantis Ecclesiæ ab vrbe rediens, ad propria remeauit. Itaque cùm se in Bohemiam recepisset, percunctatus in qua parte terræ Przemislus inclytus Rex maneret, iter suum ad ipsum diuertit, & eius aspectui in nouo habitu se præsentauit. Rex verò Przemislus, ex innatæ generositatis mansuetudine, surgit de folio suo, fratremque Hroznatam ad osculum recipit, ipsoque à dextris suis locato, de rumoribus & modo conuersionis suæ diligenter inquirit. Porrò Frater Hroznata, post diuersos hinc inde tractatus habitos, flexis genibus coram Rege, Regiæ clementiæ preces offert, vt ea quæ Domino inspirante, auctoritate sedis Apostolicæ, cura vouentis, sunt consummata, Regalis auctoritas gratificare dignetur

& ea

& eadem suis priuilegijs confirmare. Surgunt adhæc præsentēs vniuersi regni magnates, & vnâ cum fratre Hroznata ad pedes Regalis magnificentiæ procidentes, pro ipso supplicant, cum ipso acclamantes, hoc ipsum Regem facturum, quod suadet pietas, & dicat honestas. Annuit Regalis munificentia petentibus, & petitis, & vniuersis bonis prædictorum piorum locorum, in spiritualem protectionem receptis, ea suæ sublimitatis priuilegijs roborauit. Agunt omnes ingêtes gratiarum actiones Regi, & Fr. Hroznatam, magno venerantur affectu; bonorum omnium auctorem Deum, vnanimiter glorificantes, qui seruos suos & in terra mirificat, & in cœlo gloriosè coronat.

DE REDITV AD
PROPRIA.

CAPVT XI.

VIR Deo deuotus, Frater Hroznata, voti compos, gratia Regali præuētus, inde venia petita, abscedit, conducen-
tibus ipsum maioribus regni, ad locum, in quo eum turba suorum equitum expectabat, & optantibus illi prosperum re-

rum